

tudo, humani femoris; color leucophæus, candido tamen propior; squamis totus horret tam duris, tamque validè consertis, ut aciem pugionis, & hastilium, excludant. Caput amplum, & cranio præduro, tanquam casside, munitum. Hinc pisces armati nomen illi à Gallis inditum. Et vero perpetua cum aliis pisibus bella gerit, quorum exitio pafcitur. Pro telo rostrum immane gerit, humani brachii longitudine, gemino dentium ordine instructum. Hoc venabulo non solum reliquos mactat pisces, verum etiam avibus, cum mutare dapes cupit, infidiatur & illudit. Eam ob rem occultat se inter carecta: rostrum exertat aquis, ac paulisper diducit. Sic perstat immotus donec accedant volucres, & incautæ rostro infideant, arundinem aut virgultum ratæ: continuo perfidus infidiator, misellarum pedes contracto rostro stringit, & in gurgitem demersas vorat.

Non minor volucrum est copia, quam pisium. Certis mensibus palumbes è silvis prorumpunt in agros tanto numero, ut arborum ramos prægravent; quibus postquam infederunt noctu, facile capiuntur, & barbaras mensas regali ferculo cumulant. Præterea in vastissimo sinu, in quem evolvit se flumen sancti Laurentii, cernitur exigua insula, seu potius biceps scopulus: insulam volucrum dicunt. Tot enim eò convolant è finitimo pelago, ut inire numerum nequeas. Indigenæ fustibus prædam non difficilem comminuunt, aut pedibus conculcant; cymbasque lautis dapibus, & inemptis [345] plenas referunt. Ludunt